

## II. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 67.

---

De Tactica Romanorum.  
Aliquot Animadversiones.

---

Elysium-Meum. Die Veneris. 21. Sept. 1810. (Neov. 7. Sept. 1810.)

---

Romani, bello se devoventes, id ceu unam artem consideravere, cunctasque vires eam excolendi perficiendique impendere. „Profecto, ait Vegetius, Deus quidam notionem legionis menti eorum indidit.”

Existimavere: legionarios armis ad agrediendum juxta ac defendendum instruendos esse, validioribus gravioribusque quam alii populi utantur. Cum vero in decursu belli res perficiendæ occurrant, quibus gravis armaturæ militia impar, idcirco legio levis quoque militares copias continere debuit, quæ pugnam instaurarent, ut pro re nata facili opere se recipere possent, præterea equitatu, fundarios, hastatosque complecti debuit, ad fugitivos persequendos, sicque consummandam victoriam; porro omnis genere machinarum bellicarum, quas secum vehebat, defendenda erat, quovis vespere communire se jubebatur, speciemque, ut ait, memoratus Vegetius, munimenti erigere.

Ut vero ponderosa arma tractare poterint, humanæ conditionis mensuram excedere debebant. Hunc scopum assequerentur continuo labore & exercitatione, qua factum: ut robore virium proficerent, & dexteritatem agilitatemque membrorum consequerentur. — Nostra ætate exercitus nimia adstrictione ad inoitas rediguntur, Romani sanitatem per eam conservarunt. Ut vero hoc, quæso, factum? fatigia eorum non interruptim decurrebant, contra: miles noster ex summo fatigio ad maximum transit otium, & hæc circumstantia est, quæ plurimum ad ejus exitium confert.

Educationem Romani quod attinet militis, asvesciebat militari gressui, id est: intra quinquehorium 20 imo nonnunquam 24 italicis miliaribus conficiendis; in his itineribus onera 60 pondo gravia portanda iis erant. Consuetudini innutriebantur armati currendi, & salendi, occasione exercitationum habebant pugiones, hastas projectiles, tela, ordinariis armis duplo graviora, & has exercitationes continuo prosequerentur. Non solum castra, sed & urbes locum exercitationum continebant, quibus peractis fluminis injecere, corpus a pulvere & sudore abluturi.

Quoties periculum suspicati, aut jacuram compensare voluerunt, continuo disciplinam militarem ursere. Bello cum Latinis, populo æque bellicoso, Manlius Imperatoris auctoritatem restaurare nititur, filiumque in-

justu  
dicit.

eos  
midi  
niam  
duce  
bella  
Sull  
duro  
seria  
host

dit;  
tate  
poll  
qua  
dur  
gau  
bell  
ti  
exp  
cum

Ro  
bit  
eur  
ste

cili  
me  
næ  
por

jussu Imperatoris vincentem supplicio addicit.

Ad Namantium cæsis, Scipio quidquid eos emollivit, adimit. Propudiose in Numidia sub jugum missarum legionum ignominiam Metellus veteres leges postliminio reducendo reparat. Cimbro Teutonesque debellaturus Marius fluvios derivari jubet, Sullaque militi Mithridatem metuenti adeo duros labores imperat, ut pugnam ceu miseriarum finem deposceret. Romanis otium hoste formidabilius erat.

Nostri in proeliis miles numero confidit; contra quibus Romanus viribus bellicositateque hosti præstantior sibi soli fidebat — pollebat naturali animositate, i. e. dotibus, quas sensus propriarum virium generat. Indurati ita hi homines communiter sanitate belligerarent, nusquam tamen per morbos multum peritisse leguntur. Contra apud nos una expeditione integri pene exercitus colliquescunt ante, quam dimicarent.

Castra deserere apud nos vulgare, apud Romanos contra perrarum. Miles tam ambitiosi populi, reliquis imperandi continuo securi, usque se humillare nequit, ut ad hostem transiret.

Cum exercitus eorum non numerosi, facilis erat eos sustentandi cura — Imperator melius nosse singulos, singulorum defectus novosque disciplinæ facili negotio & de tempore detegere corrigere potuit. Cum eorum

exercitus disciplina excelleret, ipso sinistro in proelio Romani se colligere poterant, quo factum: ut quemquam principio proelii numero aut impetu hostium succubuissent, nilominus in fine triumpharent.

Præcipuus eorum finis eo collinebat, ut in quo hostis iis prævaleat, dispicerent, hincque articulo mox prævenire conabantur. Acres Gallorum pugiones, turriæ bellinæ tergo Pyrrhi simpliciter eos duntaxat vice peroulerunt. Equitatus sui debilitati per id succurrerunt, quod equis fræna detraxerint, ne in furore suo sistere se sinerent, præterea immiscuerunt velites leviter armatos juvenes, velocitate in legione eminentissimos, qui primo signo dorso equitum insiluerunt aut pedites pugnare.

Bellum Romanis argumentum meditando, pax gymnica schola fuit. Si quis populus seu natura, seu arte peculiarem adeptus prærogativam, mox in usum converterunt summo. Nulla unquam gens tanta cum sagacitate adparatus bellicos facere novit, eoque tanta cum audacia in effectum deduxit, ac Romana.

Roma soli Tacticsæ suæ dominatum orbis debuit; per hanc quovis tempore occupatione provinciarum factæ statum imperiorum, eorumque Statisticam geographicam mutantur — Ita semper erit — grandis nova effecta sunt Tacticsæ seu bellandi artis. —

*Continuatio Organisat. M. Ducatus Francofurt.  
vide Nro 65.*

§. 26. Status M. Ducatus constant ex 20 Membris, quorum 12 opulenti fundorum possessores, 4 ex opulentis Mercatoribus aut Fabricantibus, 4 ex clarissimis Eruditis viris Collegiorum Districtualium eligantur. Publica salaria non accipiunt, at vero moderate defixa diurna a quolibet Districtu.

§. 27. Quolibet triennio tertia parte renovantur; decedentes immediate denuo eligibiles sunt.

Præses Statuum a nobis denominabitur. Status ad nostram convocationem congregantur, Conventus per nos prorogari aut solvi potest.

§. 28. Status deliberant de propositionibus legum a Senatu Status elaboratarum. Typo mandatæ Ministrorum Generaliumque Cassarum rationes quotannis tis substernendæ.

Porro consultant de legum propositionibus in secreto Scrutinio absoluta suffragiorum pluralitate.

§. 29. M. Ducatus in provincias, (Departamenta) Districtus & Municipia dividitur.

Provinciæ sunt 4. 1) Urb. Francofurtum cum territorio. 2) Principatus olim Aaciburg. 3) maxima pars Principatus olim Fuldensis. 4) Maxima pars Principatus olim Hanoviensis; quæ sub certis Conditionibus cum prov. Francof. connectitur; cum Hanoviam Fabricalem, Francofurtum commercialem urbem esse constet. Pro Vezlaria Pro Præfectus denominabitur.

§. 30. In quavis provincia erigitur Praefectura Consilium pro dirimendis controversiis in negotio administrationis occurrentibus.

§. 31. Consilii Praefecturae membra, & Secretarius Generalis Praefecturae per nos denominabitur.

§. 32. In quavis provincia erigetur Collegium provinciale, cujus membra munus ad dies vitae gerunt — quorum Collegiorum membra propediem denominabimus.

§. 33. Constabunt denominati in  $\frac{2}{3}$  ex possessoribus plurimorum fundorum;  $\frac{1}{3}$  opulentissimis Mercatoribus Fabricantibusque; &  $\frac{1}{4}$  praecipuis Eruditis & artificibus.

§. 34. Nemo minorennis Membrum Collegii provinc. eligi potest.

§. 35. Collegia provincialia denominant membra Statuum, singulae provinciae denominant 3 fund. possessores, Fabricantem aut mercatorem, Eruditum aut artificem.

§. 36. In quavis prov. Generale Prov. Cons. erigitur. Ad quamlibet denominationem duo Candidati, quorum unus membrum Collegii prov. esse potest, a prov. Collegiis nobis proponentur.

Eadem prorsus ratione Consiliarii Municipiorum a Collegiis prov. nobis proponentur.

Membra prov. tum Municipiorum Cons. quolibet biennio in dimidia parte renovantur.

§. 37. Codicis Napoleonis a Cal. Jan. 1811 receptio jam a nobis pro M. Duc. Francos. decreta est.

§. 38. Tribunalia Judiciaria in Civilibus, ac Criminalibus Causis provisorie ut hoc usque permanent.

§. 39. Status Judiciarius independens est; Judices a nobis denominantur.

§. 40. Sententiæ Tribunalium nostro nomine ferentur. Jus nobis reservamus Criminales poenas mitigandi, aut remittendi.

§. 41. Conscriptio milit. lex fundamentalis est M. Duc.

§. 42. In M. Duc. Francof. Ministeria Justitiæ, Politicæ, & negot. int. una in persona concentrantur. Qua Minister Just. invigilat ea legitimo stabili & partium studii experti negotiorum cursui, universorum Fororum Judiciariorum; ut Politicæ Minister negot. que int. ei subsunt quævis eo pertinentia Col. Præfectique Provinciales immediate, prout Præfecti cum omni Ministro relationem habent, & ab eo in ratione sphaeræ quam habet, diriguntur. Præfecti curant executionem legum, quarum limites excedere nequeunt. Cuius in sua provincia incumbit: Educationis inspectio, agricultura, & opificia, dotationes piæ, Instituta pauperum, Sylvæ Communitatum, viæ, bona communia, securitas Cultus divini, Cooperatio in delectu militari, securitas Regestrorum super vassalibus.

Præfectus Provinciali Consilio annuis vicibus descriptionem eventorum intra annum in provincia communicat; quæque in salutem ejus in effectum deducta sunt.

Singulari ex prædilectione in bonas artes & scientias reservamus Nobis prout usque factum, moderationem negotiorum Universitatis Asoiburg. atque Musæi artium Francofurt. prout & Bibliothecarum Asoiburgensium & nostræ Collectionis Imaginum. Cæterum in hoc argumento uberiora consulto nostro Ministro negot. int. definiemus.

§. 43. Ad Ministerium rei ærariæ, (Finantiæ) pertinent: Domania, thesaurus publicus, Commercio, Fabricæ & artium incitamenta.

Minister rei ærariæ suprema gaudet inspectione Generalis Cassæ, in quam publici reditus feruntur — quorum erogationes ex ea factæ impenduntur & Statibus rationes redduntur.

Generalem Cassæ Præfatum ipsi denominamus, cujus Contra — agentem, & Perceptores in provinciis rei ærariæ Minister noster proponet.

In specie Inspectioni Ministri Finantiæ subsunt, directa & indirecta tributa, Telonia, res Veredaria (Postæ) navigatio, publicæ viæ, regalia, Lotteriæ, Domus Fiduciarie (Lombardæ) monetaria, montana, salinaria, & Urinalis res, aquæ minerales, omniaque objecta, quibus publicus thesaurus reditus percipit, prout is Camera Commercialis præsidium quoque sustinet.

### III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 67.

---

#### *Politica Mortuorum Colloquia.*

---

Elysium-Meum.—Die Martis 26 Sept 1809. (Neor. 8 Sept 1809.)

---

de Urbe!

#### *Lutetiae Parisiorum.*

In ratione Institutorum suorum pro publica mentium Cultura, scientiis & artibus.

**E**lysios subibat campos Clio, accita per novarum rerum curio es, qui metropolim orbis in ratione Institutorum publicæ Culturæ hodiernæ noscere avebant. *Conticuere omnes, tum Dea thoro sic orsa ab alto:*

Verum est: Parisini populi mores per revolutionem depravati sunt. Vitia olim eminentioris conditionis hominibus nota, infimam quoque plebem pervasere. Luxus, usura pravitas, licentiosus semet ditandi furor, defectusque tenacitatis animi invalere. Feminae non amoris amplius, verum lasciviae sensu praeditae videntur. Non raro vestem indutae virilem apud *Restauratores*, in thermopoliis, publicisque foris conspiciuntur — nihilominus haec corruptio *universalis* non est. Probitas animi, & virtus ad mediæ, industriae deditae, Civium Classis domos se recipere, domesticæ vitae tacita solatia inhabitat; ita e. c. in toto Suburbano S. *Antonii* æge, quæ publicum corpore quæstum exerceat, reperitur.

Rei scholasticæ restauratio, sacrorum re-  
 vectio ubivis viam sternunt emendandorum  
 postliminio morum. Saltim imago *moralitatis*  
 in pretio esse deprehendetur, demum morum  
 ipsum puritatis studium adhibebitur; quidquid  
 alii loquantur: summum beneficiorum Napo-  
 leonis populo Gallico præstitorum est *Concor-*  
*datum*, quo medio religionis, excellentissimæ  
 & solatio plenissimæ sensationes excitantur,  
 quin mentis libertas hierarchico despotismo  
 mutiletur, aliorumque sacrorum Cultores non  
 amplius ceu hostes Dei & humani generis tra-  
 ducuntur.

Inter instituta Educationis eminent: novis ad-  
 junctis adcommodata hodie *Universitas*, species  
 quædam Monarchiæ litterariæ agentis in uni-  
 versum Imperium. Prytaneum, Institutum surdo-  
 mutorum, Museum Coecorum, Schola Monta-  
 nistica, Institutum nationale &c.

Magnificentiam, sapientesque institutiones  
 quorumvis horum litterariorum Institutorum æ-  
 mulatur *hortus botanicus* (*Jardin des plantes*) erat  
 hujus auctor *Cel. Gwy de Brosse* An. 1640 quo  
 moriente sesqui circiter mille solum comple-  
 cebatur plantas. *Cel. primum Buffonius* ei for-  
 mam ulteriorem dedit. Publicæ notabiles ad  
 eum locupletandum quotannis fiunt impensæ.  
 Imperatrix ipsa Botanicæ gnara, et amans est.  
 Hic hortus non solum botanicus, verum prin-  
 ceptus Institutorum Europæ est, in quibusvis hi-  
 storix naturalis partibus, cui clarissimi Gallix  
 nature indagatores admoti. *Cel. Desfontaines,*  
*Jussieu, & Thouin* Botanicæ & Culturam pro-

fitentur plantarum, quibus paret suis cum raritatibus ex omnibus orbis partibus & Climatibus hortus botanicus. *Cl. Hay* docet Mineralogiam. *Cel. Faujas Saint Fond* Geologiam, *Foucroi* Chemiam, cui elegans laboratorium obsequitur; *Portal* Anatomiam hominis, *Cuvier* animalium, utrique Cubile præparatorum, & Anatomix paret. *Geoffroy* historix naturali lactantium & avium, *Lacépède* reptilium, & piscium, *la Mark* Insectis & testaceis animalibus admotus est. Eis locuples pro historia naturali Museum, & Collectio vivarum exterarum ferarum exempla ex ipsa natura suppeditat. — Numerantur prope 2000 studentes, omnis conditionis, ætatis, & diversarum nationum quotannis confluentium, ad excoipiendas prælectiones doctissimorum virorum sub tam faventibus adjuactis. —

*C. Buffonii* exuvix in hunc hortum deponendæ dicuntur. Sunt et in urbe *Mont-Bart* ferventibus revolutionis tumultibus bene custoditæ, brachio solum carent. *Cel. Faujas de Saint Fond* cerebrum Clarissimi viri possidet, more mumix conditum, & omnes in vesica ejus repertes Calculos; quamquam hæc singularis dilectionis species sit, collectio tamen ossium hodie moris est. Ita e. g. Celebris ab Aegypto itinere *Denou* dentem adhuc *Voltaire* in vicem adamantis annulo insertum exhibet.

Innumera rerum naturalium, iconum, imaginum æri lucisarum, monstrorum & antiquitatum &c. Collectiones, conclaviaque ut Parisiis dici solet, privatorum in manibus

sunt. Vandalismus sub revolutione sæpe occasionem præbuit, ut pretiosissimæ Collectiones raritatesque artis privatis cederent. Aditus ad eas facilis, aliquos exiguunt, sunt alii quos honor attentionis solius præmio efficit.

Anno 1778 Parisiis unum solum erat *Conclave lectiois* (Cabinet de lecture) hodie copia est eorum, in omnibus compitis, & urbibus angulis. Quivis tabacæ quæstor, & unguentarius tibernam suam poematis & fabulis Romanensibus exornat. Multiplicibus Commodantibus lecturæ Conclavibus, in quibus deponis titulo pignoris 12 libris, tribusque titulo mentuæ mercedis, omnes Gallici Parnassi fructus acquiri possunt, emment, quæ auctorem habet Gallicum olim ad rempublicam Grisonum Residentem *Florent Ruyor* selectu librorum. Eminentissimum vero totius urbis, quorum nec *Salon litteraturæ*, cujus possessor olim *Cel. Girardin*, hodie *Cel. Saint-Jorre*, comparari potest, lectiois Conclave est, a *Rondonneau*, in foro hastiludiorum.

In eo reperitur præter alia, perfectissima bibliotheca ad historiam revolutionis Gallicæ; Collectio non modo majorum operum, sed quarumvis relationum, opinionum, affixorum, sermonum, volantium chartarum, diariorum ex tempore *Conventus Notabilium* 1787 usque hodiernum diem in Gallia in argumento revolutionis editorum, tota collectio jam ultra 6000 libellos, & 2000 tomos efficit.

Aequè memorabilis in hoc conclavi completa Collectio quorumvis Edictorum, decreto-

rum, litterarum patentium, ordinationum, legum, dispositionum publicarum, quocunque sub nomine ab anno 1200 usque hodiernum diem. In hac admodum utili pro historia, Jurisprudentia, & legislatione Galliae pluribus tomorum fasciculorumque millibus constante Collectione facilis rerum tractatio discitur; quippe duplici eadem exhibetur exemplari, pars ordine Chronologico, pars ordine rerum contexta est.

Poetarum, Prosaicorum, & scriptorum cujusvis generis defectus prorsus non est Parisiis — Elenchus eorum medio superioris aevi confectus censebat ultra 900 & nequaquam is erat exactus! verum quidem est: vulgari-um & mediocrium maximam partem esse, nihilominus nullus Bibliopolarum Parisiensium, utut vilis fuerit, adeo miserabilis valoris libros mercabitur, quam hodie nonnulli quaestores librorum in Germania. Parisi totaque Gallia proinde nec decimam partem tantorum scriptorum miserabilium continet, quam dimidia Germania. —

Census A. 1803 institutus docuit eorum 266 pictores, Statuarios, aeri incisores, delineatores, architectosque Parisiis sedem habuisse.

Impopulatio urbis 1000 plateis constantis aestimata ad 760,000 animarum, quot annis 1500 circiter vasa tritici, 1450 vasa (Muid) vini, 100,000 boves, 400000 agnes, 30,000 vitulos, 140,000 sues consumentis.

Hæc facies metropoleos Gallicani Imperii — Jure ut olim Roma per Antonomasiam *Urbis* principis orbis nomine insigniri potest; quantumvis *Londinum* metropolis orbis maritima nuncupari ambiat.

His intervenit novum phenomenon: infernales *Congrevii incendiarias* ita dictæ *Raquetæ*, quas *Græco* olim igne comparare placuit. *Græci* hujus ignis, qui architectum *Callenicum* A. 678 auctorem habet, & cujus usus in oriente ad annum usque 1291 minimum viguit, hic applicatio fieri nulla potest. Eratis fluidus, & magnis incendiariis siringis imponebatur, ob quam rationem *humidus ignis* a *Græcis* adpellatus. *Leo* Imperator sub exitum *Sæc. X.* *Taditum* suam describens, in prois navium id genus incendiarios siphones applicari jubet, ad ignem in hostem evibrandum; probabile est: *Sæculo XIII* vixisse *Marcum Græcum*, cujus: *liber ignium ad comburendos hostes* in duobus MSS, in Bibliotheca Parisina, & in alia membrana in Monachensi custoditur, & Parisiis 1804 græco & gallico idiomate tribus phyllis in forma quartali prodiit. *Albertus Magnus*, tum *Rogerus Baroni* græco hoc codice usi sunt. Uterque nitram adpellat *sal petrorum*, & *Cl. Casius* auctore, jam 1249 in codice quodam arabico *pulveris nitrati* mentionem fieri. Quod peculiari ratione præparatum nitrum præcipua *Congrevianarum Raquetarum* pars constitutiva sit, id quidem nullus *Chemicorum* tam parum inficiabitur, quam quod sedula veterum scriptorum lectione artis py-

robolaria e. c. *Beringocopis Pirotechnicae*, aliorumque, male faustum hoc arcanum additamento chemicorum inflammabilium materialium, absque etiam ope *Congruvi* educi posset, nisi iurium humanitatis ratio id negaret.

Hæc de famigeratis incendiis *Raguetis*.  
Alia memoratu digna res continetur in Diario *Hamburgensi*: Tractatui Commerciali *Galliam* inter & *Persiam* in *Januario* 1808 subscriptum esse.

Defixio commercialibus inter utrumque Statum relationibus ad 3 pro Centum, aliisque reciprocis favoribus memoratus Tractatus his verbis concluditur — „*Agentes gallicæ Persicæque aulae in id consenserant: ut illi Insula Barea cedatur, ut ibi quamprimum Georgia et aliis provinciis Persiciæ Russi decesserint, satisfactori erigatur.*”

*Dresda* 31. *Aug.* Legimus in ephemeridibus: tractationes pacis strenue fervere; alia ex parte, si folium vertatur, metos bellicos in omnibus provinciis adparatus — qui & apud nos obtinent.

Die 23. meridie dux *Abrantinus* sexaginta viris cum comitatu isthuc adpulsit, & in ædibus *Brühlis* hospitio exceptus est. Comitabatur cum honoris gratia turma Equitum cum officialibus, eodem ex fine *Centuria Granatariorum* pro ædibus consistebat.

Nudius tertius elegans 22da legio linealis 4000 viris constans adpulsit, quæ isthuc præsidium tenebit usque ultteriores ordinationes. Expectatur quoque 5. polonica linealis legio.

